



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Qui magnarum vrbium id temporis fuerint episcopi. Cap. XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGR. HISTORIAE

carbonibus cādentibus consistentem, illæsum ab ignis incendio. Qui cum rogaretur, quo pacto illæsus manserit, mulier, inquit, veste amicta purpurea, crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammæ corpus ambientes extinguerem: cibum denique dedit, quoties esuriebam. Quare ad Iustinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decernit: patrem autem pueri, qui recusavit in numerum Christianorum ascribi, in Sycis cruci suffigendum curavit. Atque ista quidem hoc modo.

Qui magnarum urbium id temporis fuerint episcopi. Cap. XXXVI.

Post Menam, Euty chius ad sedem episcopatus Constantinopolitani ascendit: sedem autem Hierosolymorū obtinet post martyriū Salustius. Cui successit Helias, Hunc Petrus, Petrum autem Macarius secutus est, imperatore nondū ei suffragante. Qui postea sede sua pulsus fuit. Nā ferebatur eum dogmata Origenis tutatum. Cui in eo episcopatu successit Eustochius. Theodosio porrò, vt supra demonstratum est, exturbato, Zoilus, episcopus declaratus fuit Alexandria. Quo mortuo, Apolinarius sedem illam capessit.

De sancto vniuersali q³ concilio quinto, & quā ob rem institutum fuerit. Cap. XXXVII.

Post Euphramiū, sedes Antiochena Dominico cōcredata fuit. Iam verò cum Vigilus antiquæ Romæ, & Menas nouæ primum, deinde Euty chius, Alexandriae autem Apolinarius, & Dominus Antiochiæ episcopatū gefsit, Iustinianus quintum concilium conuocauit, tali causa adductus. Eustochius, vbi illi, qui dogmata Origenis tuebantur, cum in alijs locis, tum maxime in noua laura (sic enim vocabatur) inualescerent, omnem curam ac studium suum eò contulit, vt eos expelleret. Qui ad nouam profectus lauram, omnes inde eiecit, & tanquam communem perniciem omnium longè fugauit. Illi in varia loca dispersi, multos in suam pellexerunt opinionem. Quorum patrociniū suscepit Theodorus cognomine Afsidas, episcopus Cæsareæ, urbis gentis Cappadocum primariæ,